UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

13. Augusti. Idibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

S. BERNARDUS, ſer. 2. de vig. Nat.

Beati in cœlo noſtrũ advẽtũ deſiderant.

Feſtinemus, obſecro, dilectiſſimi, feſtinemus: tota nos multitudo curiæ cœleſtis expectat. Exultare Angelos fecimus, quando converſi ſumus: proficiamus, & feſtinemus complere de nobis eorum lætitiam.

13. *Auguſti. Idibus.*

Floruit anno 1425.

Præeſſe renuit.

Reformationem inter primos promovet.

B. MARTINE de Logroño, Prior monaſterii Montis Sion: quod munus adeò tua refugiebat humilitas; ut illud in te recipere non ante acquieveris, quàm tibi Reformator Generalis promiſerit, ſe de minoribus noxis, ſi quas ratione officii te incurrere contingat, pro te Judici DEO reſponſurum: de gravibus nempe te conſcientiæ puritas abſolvebat, demebátque de futuris metum diuturna virtutum exercitatio. Imponenda erat tali fundamento nobiliſſima Reformationis, eo tempore inchoatæ ſtructura; quæ Ordinem Ciſtercienſem primævo ſplendori per omnem latè Hiſpaniam reſtituit, & jam in tertium uſque ſæculum feliciſſimè conſervat. *Doce me pro levioribus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ribus peccatis, in quæ per incuriam meam ſingulis penè momentis impingo, eſſe ſolicitum: quantum enim malum ſit, illa vilipendere, dies magna docebit, quâ Judex ſupremus otioſa etiam verba vocabit ad pœnam. Fuga peccati venialis.

B. BERNARDE, Clarævallis monache: cui cùm nequiſſimus everſor innocentiæ, infernalibus ſpurcitiarum faculis adeò eſſet importunus, ut in pertinacis mali remedium unus placeret ad ſæculum reditus, in quo plenis buccis infame virus ingurgitares. Hortatu tamen Prioris è cœlo petiiſti auxilium: quod eâdem mox veſpera preſtò fuit. Dormienti enim viſus eſt vir procerus adſtare, & inviſum ulcus, tot gemituum cauſam, ferro recidere, & cani, quem adduxerat, devorandum projicere. Ex quo momento ab illa peſte immunis, illæſum florem ſepulchro intuliſti. *Novit turpiſſima inferni vomica, quantùm diſpliceät puriſſimis Dei oculis execrandæ illius ſordes: omnes proinde aſtus adhibet, ut ſummum animæ caſtæ decorem ſua fuligine deturpet. Fuit, qui aſſerere non dubitavit: idem eſſe, complacere ſibi in deſiderÿs honeſtati contrarÿs, ac ejectum à dæmone ſtercus ore excipere. Ecquis non horreat? quis non fœdo lurconi ad ſimeti porcini amorem ſolicitanti hunc*

Floruit anno 1222.

Graviter tentatus, liberatur per viſum.

Remedium contra tentationes.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trivialem verſum pro umbone objiciat, dicátque: Te cum turpiſſima pice tua Execror, averſor, deteſtor, abominor, odi?

S. BERNARDUS, *hom. 1. ſup. Miſ.*

Humilitas Mariæ imitanda.

Non omnium eſt virginitas: multo tamen pauciorum eſt cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem MARIÆ non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi. Quòd ſi & virgo es, & humilis es, quiſquis es, magnus es.

14. Auguſti. 19. Cal. Septemb.

Obijt anno 1167.

B. AMALRICE: qui Inſtitutum Ciſtercienſe in monaſterio Caroli loci juvenis amplexus, per virtutum viam ad Abbatialem dignitatem, inde ad Epiſcopatum Sylvanectenſem aſcendiſti: utrobique muneris tui adminiſtrator vigilantiſſimus: unde meritò boni Paſtoris mercedem apud ſuperos recepiſti. *Nec indonata erit in cœlo virtus, nec vitia impunita. Conabor ego, ut cùm ad grandia merita infirmitati meæ aſpirare non liceat, pro viribus ſaltem demerita fugiam: nam & hic labor præmij non vacuus erit.*

Opera definiunt mercedem.

Beati